

4
1

NARRATIO DE PRAEELIIS gestis inter POLONVM, ET TVRCAM Annis 1620. & 1621.

Per
MATTHIAM TYTLEUVSKI
Nobilem Polonum:



ANIMO SPECTATVS, ET ARMIS.

NEAPOLI, Ex Typographia Lazari Scorrigij. M. DC. XXII.

**Illusterrissime, & Reuerendissime Princeps,
Domine D. Antoni Cardinalis Zapata,
Sacrae Catholicae Maiestatis in inclito
Regno Neapolis Locumtenens,
& Capitanee Generalis.**

Matthias Tytlevuski exponit. Quomodo Illusterrissimus, & Reuerendiss. D. Adamus Makoski Serenissimi Poloniae, & Suetia Regis in hoc Regno Neapolis Internuntius, habitis de anteacto inter Polonum, & Turcam bello, veris tunc ex Patria, quam etiam Constantinopoli relationibus, iniunxerat ipse, ut id totum, quidquid proprijs Polonus viribus profocis, arisque contra communem Christiani nominis hostem sustinuisse, succinello complectetur ordine. Et licet ista tanto se parem oneri esse dubitet, ut hosce cruentii Martis, quibus tota ferme tremuit Asia, sufficienter veni perstringat, ut penna strepitus; imposita tamen parendo iussis, pro hoc, quod ipsi mundo patuit, typis Tua ^{III} dñe Domine, auctoritate innixum, certetur nomoribusque vel Polonia superis auxiliantibus fortitudo, qua Turcarum Imperatorcm vinciri posse demonstrauit, à posteris suspicetur s. vel renitenti, ad impetendum simul hostem, orbi Christiano animum dabit.

Reuerendissimus Dominus D. Adamus Makoski Serenissimi Poloniae, & Suetia Regis in hoc Regno Neapolis Internuntius videat huiusc narrationis seriem, & in scriptis relationem faciat sua Illusterrissima Dominationi, si est conformis veritati facti, & euentorum in congressibus Exercitus Turcici, & Tartarorum in inuasione Regni Poloniae, ut fidei historie concuevit; ut illa visa prouideri possit super petita licentia impri-mendi.

Valenzuela Regens.

A 2

Ego

Ego Adamus Makoski Serenissimi Poloniae, & Suetia Regis
 in hoc Regno Neapolis Internuntius testor banc de Prelis in-
 ter Polonum, & Turcam gestis, à Matthia Tytlerowski iussu
 meo succinctum in ordinem, redactam narrationem esse ve-
 ram, prout id ego ex multis, yisque certissimis de Curia Sere-
 nissimi Poloniae Regis Domini mei clementissimi literis, & re-
 lationibus acceperam. In cuius rei fidem id manu mea sub-
 scrips. Neapoli die octaua Aprilis 1622.

*Adamus Makoski Internuntius Serenissimi Poloniae,
 & Suetia Regis.*

Imprimatur, & publicetur.

Valenzuola Regens.

Alexander Russus Canonicus Deput.

Tarufas Tarufas Congreg.Oratory Dep.

Imprimatur.

Laelius Taftius Vic.Gen.

AIBA
infight

AQVILA

Regni Polonicie

FVI EXPENDIT

SATOS EIVS DUX

IAS SVAS ET AB

VILLE IMPERI

EVM DOMINVS

Sceptrigeri, expandit, quosq[ue] locis armigeri, ali, Iamque tuo genuit, Mahometus Luna sub ungu,
Ingenis techiadum ferris in aera, deas : Quo rapidi lambit, Danica procul Tyras
Lun tibi Sarmaticis derictis preda canervis, Ingeat, Mahometi redens in prælia syrus,
In lunam et stellas horrida bella mous. Neq[ue] paucorum impigeri ipsi brach.



Vplicem Sarmatiam, vel Sauromatiam veteres illi orbis speculatores Asiaticam, & Europæam dixerunt. nunc de Europæa sermo est, quæ siue ab Assarmot filio Iectam de stirpe Sem, siue à Sauros & omnia græcis verbis, quæ viperinos oculos significant ; eò quod eius populi, armis & animis præstantes fuissent ; siue à montibus Sarmaticis antiquitus dicta, qua nunc amplissimum Poloniæ Regnum continetur. Et verò cum orbis ille Septemtrionalis antiquis adumbratè patuisset Geographis, non mirum, si recentioribus, qui longè aliter in dies experiuntur, antiquorum authorum relata, vana quasi somnia videantur. Vna tamen tūm veteres, quām neoterici sententia Europa Sarmatiam ab occasu solis flumine Vandalo, nunc Istula dicto; à meridie montibus Carpathijs; ab ortu flumine Thanai, à Septemtrione mari Henetico, nunc dicto Suelico, terminari afferuerant.

Sarmatia
Europea,
eiusque fi-
nes.

A multis hęc nationibus prisco sæculo habitata fuit, & potissimum ab Henetis, qui post dirutionem Trojæ, alij cum Antenore Illiriam possedere, à quorum nomine mare Heneticum, nunc Veneticum, & famosa Civitas Venetiarum plurium nunc prouinciarum domina, irruerūt in Italiam. Attila Hunnorum Duce edificari cępta, nomen traxere ; alij Pontum Euxinum ex Asiatica Sauromatia in Tauricam Chersonesum transuersti, inde eas regiones occupare, quę flumen Vandalus, & mare Septemtrionale Heneticum ab eisdem, nunc Balticum dictum ambit. Hinc eos populos tantopere propagatos fuisse, vt non tantum Europæam Sarmatiam, verum etiam Istriam, Dalmatiam, Myssiam, Daciam, Pannoniam, Bulgariam, potentia Romano-rū repressa possedissent. variaq; siue à Ducibus, Regibusq; suis, siue à montibus, siue à fluvijs, locisq; diuersis nomina (cum

A quibus
populis
olim habi-
ta fuit.

(cum vna fuisset natio) fortiti, Vandali, Alani, Roxolani, Illirici, Dalmat^z, Daci, Istri, Slauones (quibus vnum fuit idioma) nuncupabantur.

**Primus
Gothorū,
& Heneto-
rum in Ita-
liam adue-
tus.**

Dumque ita Heneti, in Sarmatię, multisque alijs Europę regnis dominaretur, ferociissimi ex Insula Scandia, nunc Suecia, populi dicti Gothi, per mare Heneticum Septemtrionale in Sarmatiam cum numeroso exercitu deuecti, iure hospitalitatis cum Henetis, Vandalisque multò seculo vtebantur. Postmodum vnanimes coniunctis viribus, imperio Romano potiti, cum armorum strepita Italia, & Gallia peragratis, partim in Hispania, partim in Africa confondere, impositoq; duabus Hispanię prouincijs, Vandalusie à Vandalis, & Cathalonię à Gothis & Alanis nomine, Regibus ex regali Gothorum stirpe electis subijciebantur.

Trecentis annis nomen hoc Gothorum Regum in Hispania durauit, tandem post impetum Maurorum, clam & ex priuato odio, à Comite Iuliano Tingitanę prouincię præside, & aduersus Mauros in Africa Duce, in Hispaniam contra Rodericum Gothorum Regem adductorum, Pelagius ex stirpe Regum Roderici successor, collectis Gothorum Vandalarumq; viribus, repressa Maurorum potentia, Rex Hispanię appellari cepit, statuitque ut sui successores, Hispanię, non Gothorum Reges appellarentur. Ab his itaque Gothis, Vandalis, Alanis, Henetisque ferociissimis Europę Sarmatię populis, bellicosissima Hispanorum natio magna ex parte descendit.

**Primi Po-
lonorum ,
Bohemo-
rumq; Prin-
cipes , &
prima coū
bella.**

Concesserant etiam duo germani fratres Lechus, & Cechius Principes Dalmatiae, antiqua Henetum siue Slavonorum stirpe oriundi, cum suis exercitibus, in Sarmatię Europęam. Cechius ad flumen Moldam, & Elbim, vbi nunc Bohemię regnum cōsedit. Lechus verò ulterius Septemtrionem versus progressus inter Vandalum & Gutakum flumina, sedem suis posteris posuit, iecitq; fundamenta Civitati Gnesnę, quę in lingua vernacula nidificationē sonat,

Sonat, eò quod eo loco multas aquilas; earumq; nidos reperijset. faustum hoc augurium fore ratus, aquilam albam, repugnando forte Romanis, pingi suis vexillis curauit, quæ hucusque Regno Poloniæ pro insigni est.

Vix dum Lechus eo pedem fixisset solo, protinus à Gepidis, siue Vlmerigis ope Regum Daniæ fuitis contra belligerari coeptum. fuit ita aduenis fortuna, ut non modò generosa Lechi posteritas eos domuissest populos, verum etiâ Siuardum Regem Daniæ nauali prælio prostrauisset, accep-toque in obsidem ipsius filio, tributarium sibi fecisset.

Multa, & præclara cum circumuicinis hostibus, Romano-rumq; Imperatoribus Polonorum majores bella gessere; sed cum illa ætate barbarico, expertes literarum, vixissent more, eorum fortia facta, vel alia cœcis iniuoluta obliuionis tenebris, vel alia, alij sibi vendicarunt.

Tandem diuisa clementia Mieciſlaus Polonorum Prin-
ceps spreto falforum Deorum cultu, fidem Catholicam.
Romanam, anno à partu Virginis 966. sub Ioanne XIII.
Summo Pontifice suscepit. Huic sanctè è viuis sublatu,
successit dominijs nō degener patri filius Boleslaus Chro-
bri, ab Ottone III. Romanorum Imperatore, albo aliorum
Christianorum Regum adscriptus, & à Gaudentio Archi-
episcopo Gnesnensi coronatus, Regium diadema suis po-
steris, iusq; coronandi Reges Polonię Archiepiscopo Gnes-
nensi quiterne reliquit.

Mouit ea Religio gentilem Sarmatiam, sedulaque fidei Catholicę Polonorum cura, quam in extirpandis inaiorum suorum simulacris, idolisq; habuere; terruerunt barbaros omnium bellorum prosperi exitus, quæ pro noua suscepta fide strenuè gessere, rabiosiq; motis contra Polonos armis, sui interitus, maiorum verò nostrorum sempiternę gloriæ causam dedere. Nec detrectauit Polonus Vladislaum Ia-
lonem, magnum Lithuaniae Ducem Regno assumere, tum vt fidem Romanam suscepisset, cùm etiam Lithuaniae Du-

Mieciſlaus
Polonoru
Princeps
prim⁹ Chri
ſtianus, &
Boleslaus
eius filius
prim⁹ Rex
Poloniæ co
ronatus.

catum, regno aggregauisset. Is suscepta fide, iunctoque indissolubili foedere Ducatu Lithuanic cum Regno Poloniæ, illud ita dilatauit, ut nunc primis Christianorum Regnis equiparari possit.

Polonia unde nomen traxit, eiusdemq; termini.

Regnum Poloniæ dictum à Pole, quod in lingua Slauonica campū significat, vel quod illud in fertilissimos campos, & planities se diffundat, vel quod eiusdem incolis aperto campo bellandi mos semper fuisset, his cōtinetur terminis. Ab occasu Solis maior Polonia sedes antiquorum Poloniæ Monarcharum finibus Germanicis propè Elbim fluuiū adhuc ret; à meridie montibus Carpatijs, ab Vngaria, & Imperio Othomanico flumine Tyras distinguitur; ab oriente mari Euxino, & flumine Boristhene à Taurica Chersoneso, & magno Ducatu Moschouic disternatur; à Septemtrione ordiendo à Liuonici maris sinu, mari Baltico cingitur. Annis nō multū elapsis Serenissimus Sigismundus III. Poloniæ, & Suetiæ Rex, subacto armis ultra Boristhenē latissimo Seueric Ducatu, prope Thanaim, siue Don fluuum in magno Moschouic Ducatu, terminos dominiorum Regni sui distendit. Vastissimum est Regnum, & opulentum, plurima alia regna frumento, carne, & omni genere comeatus, terra, marique sustentat.

Regni Provincias.

Habet Polonia diuersas Prouincias, quæ cum ita vastæ sint, vt fermè per totam Europæam Sarmatiam extendantur, regna potius, quam prouinciaz dici deberent; cùm tamē vni subsint regno, nomen eiusdem sortiuntur. Maior, minorque Polonia, Magni Ducatus Lithuanic, Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuonie, Pomeraniæ, Seueriæ vnum efficiunt regnum, quorū incole, etsi lingua penitus aliqui, alij verò dialectis tantum inter se differant, omnes tamen nobiles à plebeio seiuncti statu, vna, eademq; cum Polonis nobilibus libertate, & inter se pactis vtuntur legibus. Nec credo aliam nationem in orbe reperi, quæ Polónam nobilitatē quauis libertate æquare possit: huic tantum Reges libere

Nobilium libertas.

liberè electi placatè dominari, nec bella quævis, sine consensu eiusdem decernere, eademq; prosequi possunt; vnuquisque nobilis, par Principibus, integrum in suos subditos vitæ, & necis dominium habet. In hac tamen tanta libertate nunquam inclytam Regum suorum posteritatem Regno assumendam Polona nobilitas deseruit.

Præterea Polonia, generosis, ijsq; ad sustinendos labores aptis abundat equis, vel pascuorum, & frumenti abundantia causa, vel maximè, cum in armis nobilium firmamētum Regni consistat, & ijs mos auitus in equis aperto marte belandi sit, cuius hosti potētissimo magis equestribus, quam pedestribus resistunt copijs. Mirum forsan ignaris videbitur, si assuerem, ex nobilitate Polona viritim conscripta, trecentum selectorum equitum millia, peditum verò centū millia, relicta domi maiori parte, tum arcuī præsidio, quam etiam agrorum colendorum causa, confici posse.

Quod robur, si non innumerabiles cum ferocissimis, validisque hostium exercitibus, vbiique locorum à maioribus nostris obtentæ victoræ, quibus Asia, & vniuersus perstrepit Septemtrio, vel saltem præsens, cruentum cum Othomano bellum, quo ille his annis duobus proximè præteritis, subiugando Regno Poloniæ totis ferme Asiaticis viribus incassum inhiavit, cui libet ad manifestandum par erit.

Cuius belli antequam originem, & causas dicendas aggressus fuisset, hæc de principio, sru, potentiaque Poloniæ paucis præmittenda putaui.

Posteaquam Mahumet Turcarum Imperator regnante Casimiro Iagielone Poloniæ Rege anno à nato Christo 1453. Constantinopolim Paleologo Imperatori, luctu omnium Christianorum eripuisset, elatus ea fortuna vicinam imperio suo, Regnoque Poloniæ tributariam Valachiam crebris petebat bellis, quibus aduersam bellii sortem sapientius expertus, æternum cum Casimiro Rege pepigit fœdus. Id Regibus Poloniæ, & Turcarum Imperatoribus semper

fadros sanctum fuisset; si nudi Tartarorum Precopientium,
 imperij Ottomanici tributariorum, iudicione Regni Poloniæ;
 vicissimq; Cosacorum per mare Euxinum (quo ipsi ad
 Cause belli ostia Boristhenis, vbi famosa Ouidio exulante Tomos anti-
 inter Polo-
 nos, & Tur-
 cas annis
 1620. 26.
 1621.
 quitus fuerat, ex vniuerso Regno conglobari consuevere)
 dominia Turcica igni, ferroq; depopulantium excursionib;
 bus tumperetur. Hæc causa belli utrisque populis cum omni-
 atate fuissent, nihil tamen publico bello tentatum est.
 Prior tandem anno, qui millesimus sexcentesimus vigesimus erat, regnante auspicate Serenissimo Sigismundo III.
 Poloniæ, & Suetiæ Rege; Turcarum vero Sultan Ossman
 Imperatore, exulta à Tartariis Podolia, opulentissima Regni
 Poloniæ prouincia; dirutaq; à Cosacis vicissim Caffa-Tar-
 tarorum, Varna Bulgarorum, Trapexus in Asia, fortissime
 Ottomanici imperij Ciuitates, nouum belli fomentum
 utrisque Principibus dedere. Atque magis ardete vndique
 bellis ciuilibus orbe Christiano, illius inuadendi optima
 occasione Imperator Turcarum, vtendum sibi fuisse, eo
 quo imperium Ottomanum crevit dolo censuit, eoque
 omnes conatus, & consilia dirigenda esse, ut primò Regnum
 Poloniæ muro, & propugnaculo totius Christianitatis po-
 tiretur; quo subacto, & impedita terra, marique rerum af-
 fluentia, qua hoc Regnum multa Christianorum dominia
 sustentat, facilè Christianis se dominaturum pollicebatur.

Ruptum à
Turca foe-
duis.

Mitrit confessum in Valachiam Skinderbassam suorum
 exercitum Generalem cum quatuor Turcarum millibus,
 hominem vaferimum, sanguinisq; Christiani avidissimum,
 belliq; cum Polono incipiendi negocium ipsi committit.
 Celauerat fraudem perfidus Skinderbassa, Generalem Po-
 lonorum Stanislaum Zolkievum in Valachiam specie
 iniuriarum priùs consilio, quam armis discernendarum,
 pactis conuentis vocat. Progreditur in Valachiam Gene-
 ralis Polonus cum exiguis suorum copijs, castraq; ad Ce-
 corā, loco inter se, & Skinderbassam sancito locat. traicetūt

Danu-

Danubium Skinderbassa, cum paruam nostrorum (septem
enim millia non excedebat) manum vidisset, vocatis sep-
tuaginta Tartarorum, Valachorum duodecim, Moldauorum
decem, Vngarorum septem millibus, quos ultra Danubium
in diuersis occultauerat locis, ipse cum quatuor Turcarum
millibus; non de pace confirmanda, iniurijsq; discernendis,
ut cum Generale Polono pactis steterat; verum rupto fo-
dere, ea barbarorum multitudine paruum nostrorum nu-
merum absorberet conabatur. Circumducit nostrorum castra
innumeris hostiū legionibus, undeque violenter adori-
tur. Polonus Generalis se iam circumuentum videt, impa-
uidus tamen turbatos aliquantum animos erigit, in castris
stare, ac pugnare iubet, nec arte iam quavis, sed implora-
tione Dei, vi, ac virtute euadendum esse, per mediasque
barbarorum acies ferro viam fieri.

Eo ipso die tres hostium impetus, cum maxima eorum
strage a castris nostrorum repressio inde viginti tribus die-
bus, Polonis pedem ad flumen Tyras lente cum castris re-
ferentibus noctū, diluqne tūm in castris, tūm in acie pugna-
tum fuit.

Spes alebat barbaros, si non multitudine, diuturnitate
tamen oppugnationum castra Polona rumpi posse. nec fru-
stratus ea spe Orthomanus, ac die ab oppugnatione vigesimo
quarto castra Polonorum, quos iam longum iter, con-
tinuae excubiae, nō barbarum multitudō vicerat, expugnat.
Hæc est nobilis in Valachia pugna, atque inter paucas me-
morata Polonorum clades. tria Polonorum millia cum suo
Generale, cœsis triginta hostium millibus in acie periere,
reliqui diuersis itineribus dispersi, in patriam rediere.

Lugebat vniuersa Polonia tantam suorum cladem, mo-
riendum potius, & vindicandum ardentibus animis, nec
metuendū hostem perfidum, qui foedera rupisset, exclamat.

Celebrantur Regni Comitia, bellūq; contra fidei fragū de-
cernitur, nouus exercitus Generalis Carolus Chodkiewic
magna

magnæ prudentiæ, & experientiæ militaris vir creator : Mittuntur ad Christianos Principes legati, molem belli cū hoste Christiani nominis, denunciant, subsidiumq; petunt. Nec desperatus aduerso apud Principes Christianos succes- su Polonus, Dei auxilio, viribusq; suis innixus, duobus orbis terrarū terroribus Turcæ, & Tartaro se oppositū parat.

Interea Serenissimus Rex decem Cosacorum millia, ad infestanda per mare Euxinū Turcica dominia, comeatusq; impediendos expedierat, cum Carolus Chodkiewicz recens creatus Generalis collectis quantum ea celeritas concessit, equitum catastactorum hastatorum duodecim, equitum grauioris armaturæ, vulgo Raitarorum, quatuor, Cosacorum quadraginta, peditum Polonorum tredecim, Pruthenorum, & Pomeranorum octo, Vngarorū tribus, stipendiariorum militum millibus, obuiam Othomano in Valachiam expansis processit signis ; traiectoq; flumine Tiras, in Valachia munito satis loco die penultima mensis Augusti anni 1621. castra posuit. Ultima Augusti, & prima Septembbris municiendis castris data est dies.

Die secunda Septembbris :

Numerus
Turcici
exercitus.

Nunciatur à Iustratoribus Polonorum Othomanum cum trecentum Turcarum, centumq; Tartarorum millibus, iam iam aduentare. Ante octidiū præmisserat Generalis noster aliquot Cosacorū millia, vt hostem in viarū anfractibus, velitationibus lacefferet. ij nō segniter re gesta, ea die cū hoste preliantes in conspectu castrorū cōparuere.

Vix hostis in oculis nostrorum castra locauit, cū mirus militum ardor rem acie gerendā esse fuit; visum tamen expertis belli Ducibus, non esse cōmittendā periculose aciei, tam Regni Polonię, quam vniuersę Christianitatis summā, cunctatione potius, prima concitato furia resistendū hosti. Eo ipso die pars Turcici exercitus sub Polonorū comparuic castris,

castris, cōtinuisq; velitationibus cū milite Polono decertauit, in quibus mille octingenti Turcē perierunt, multiq; cōminus hastis, frameis, eminusq; tormētis bellicis vulnerati, in castris moriebātur barbari. ex Polonis quinquaginta desiderati, trīginta saucij. Hæc prima militaris salutatio fuit.

Sub vesperū dimittit Othomanus aliquot Valachos nobiles, specie salutationis ad Generalē nostrū, vt vbi commodum ijs videretur, castra Polonica succenderent. obita salutatione, vnuſ eorum ad quæſtionem ductus, omnē patefecit machinationem, & consciōs fraudis detexit, qui cum in tortura eadem fassī fuissent, omnes eodē loci ita clanculum capitis supplicium subierunt, vt non modō Turcis, sed ne Polonis quidē constaret. Tum Generalis Polonus noctū circum castra in multa loca cōferri ligna arida, sarmētaque, ſtruſ componi, ijsdemq; ignē subijci iubet, eductisq; Cosa-corū decem millib⁹, & Pruthenico peditatu, hunc in fronte, illos in lateribus locat. Vbi Othomanus flāmas in sublime ferri confpexit, ratus successisse dolum, ad inflammata Polonorū castra suum militem gregatiū immittit. In ipso castrorum aditu inopinatō à Cosacis, peditatuq; instructō excipiuntur barbari. res gladijs stringi cępta: cęterū cum præ strepitū, ac tumultu nec cōſilium, nec imperiū barbari accipere potuissent, ad gemitus vulnerum, iictusq; corporū, aut armorum mīstos strepentium, pauentiumque clamores perterriti, cœca rabie ad cædē ruebant; alij proiectis armis, cadauerum cumulis illati hærebant: alios fugientes agebat retrorsum ad pugnā euntiū agmen. tota ea nocte atrociter pugnatū, dies diremit prælium. Turcē in castra retrocessere.

Die tertia Septembris .

Imperator Turcarum delusum se esse videt, fremensq; ex tribus partib⁹ castra nostrorum adoritur, ab eo nimirū loco, quo castra Cosacorum nostris adhærebant, vsque ad extre-

extremum agmen Polonici exercitus. toto eo die atrociter
dimicatum est. ex castris Polonorum in hostem tormentis
bellicis res prosperè gerebatur. ante Solis occasum Turcæ
se in castra recipiunt.

E exercitus Serenissimi Principis Vladislai. Serenissimus Vladislaus Princeps, eo die cum triginta
Velitum millibus, multoq; apparatu bellico in castra venit.
Nocte, dieq; præterita, cesa sunt plusquam viginti hostium:
millia.

Hæc dum agerentur Magnus Dux Moschouic contracto
ingenti exercitu in Ducatum Seuerensem irruperat, ac
pactorum, iictiq; foederis immemor, omnia depredabatur.

Gustaus Princeps Sudermanæ, occupator Regni Sue-
tici, cum magna classe per mare Liuonicum deuenctus, Ri-
gam ciuitatem regiam, Liuoniae portu insignem obsidet,
eandemque per caluinianam traditionem intercipit.

Ea aduersa fortuna multum Regno Poloniæ negotijs fa-
cerebat: res enim cum tot potentissimis terra, marique
hostibus, vno, eodem q; tempore gerenda fuit. Vocantur
Senatorum Regni, & nobilium consilia; vniuersa nobilium
expeditio ad resistendum tot, tantisq; hostibus more maio-
rum viritim indicitur. Serenissimus Rex missa contra
Moschouitam, & Suecum, parte Lithuanæ nobilitatis, ipse
contra Othomanum cum Polonis ire parat.

Die quarta Septembris.

Orto Sole, Imperator Turcarum cum vniuerso exer-
citu castra Cosacorum (hæc enim in fronte castro-
rum ipsius erant) adortus, tormentis bellicis, & bombardis
acriter certatum, quinque horis oppugnatio durauit. Co-
sacus ex munitionibus animosè propugnabat, hostis ma-
gna vi, atque impetu irruerat, at proinde ingens barbaro-
rum multitudo interiit. Eodem tempore immittit multas
Othomanus Ianicerorum copias ad eam castrorum partē,
qua

qua Campiductor Polonorum cum suis Centurijs stabat. Procursum è castris contra, conteruntur equitatu Polono-co Ianiceri, pauciq; ex ijs pedem ad suos referunt. Iterum Othomanus cum vniuerso exercitu ad castra Polonica reuolutur, frustrâq; iterato insultu, cum magna suorū clade coactus recedit. Denuò vna circiter ante occasum Solis hora, castra Cosacorum maiori quàm antea vi oppugnare cœpit. Iam barbarorum ferociæ castra Cosacorum cedere videbantur, cùm Deus prœstò suis affuit: Cosaci enim facta per posteriorem Castrorum partem eruptione, iunctis viribus cum hastatis equitibus, à Generalé ad subsidiū fereendum dimissis, Turcas comminus adorti, atrociq; cōmiso prælio, confertissimas hostium legiones in fugam egerunt, magnaq; in ipsis edita strage, eos vsq; ad Castra Orthomana sequebantur, multa tormenta bellica asportarunt, magnaque onusti præda instantे nocte, barbarico cruentati sanguine, in castra paucis suorum amissis, redierunt.

Ipse Turcarum Imperator qui ad hoc spectaculum prodierat, ex acie coactus ad castra sua evasit. Cæsa sunt hac die plusquam quindecim Turcarum Tartarorumque millia, Ianicerorum verò tria millia ex nostris duceti fermè desiderati. Hæc tanta hostium tūm in præteritis castrorum oppugnationibus, quàm etiam in acie aperto Marte conflictibus factis clades, paucorum verò Polonorum interitus, diuino auxilio, quod Polonis cœlitus aderat, non quibusuis humanis viribus adscribendum.

Die quinta Septembris.

VTrinque quies erat. Cadaueribus sepeliendis opera dabatur, ne fētor eorum castra inficeret; tanta enim consternatio cadauerum, solis vrentis calore horrenda visi, ipsos terrebat barbaros, ut noctu cum facib; eadem sepelire cogerentur.

C

Hoc

Hoc die Turcæ mōtis retro castris, nouam Polonicorum Castrorum oppugnationem parabant . Nec mora Polonus inuocatis Superis, educta in aciem in latera castrorum exercitus parte, animosè hostem pr̄stolabatur : iamque Turcarum tergiuersantia agmina in aciem more pecudum pellebantur ; cum pluere circa meridiem c̄perat . nihil edie tentatum est .

Die sexta Septembris .

FVgit ex castris Turcarum quidam Cosacus, qui septen-nio in Turcica seruitute existebat , affirmabat is ; c̄sa-fuisse in superioribus castrorum oppugnationibus quatuor Ianicerorum millia, Spaghios trecentos perijisse ; Turcarum Tartarorumq; plusquam quadraginta millia. qua c̄de bar-baros ità perterritos , famisq; quę in castris eorum regna-bat pertēsos , multos ex castris fugati capessisse .

Hoc quoque die Turcę quieuerant, vel quod Imperator in gratiam oppugnationis, pecuniam militi largiretur ; vel quod eorum castra , quę multis collibus lare patebant , stringerentur .

Idem referebat Turcas per castra mussitare, duodeci-m-triремes armatas , à Cosacis in mari Euxino captas , submersas q; fuisse, reliquas Constantinopolim aufugisse, quas sub ipsa mēnia Cosaci inseguuti, omnia terrore compleue-rant . Huius primum cladis nuntium fremebundus Otho-manus strangulari iussit, indixitq; die venturo Castrorum Polonicorum validam oppugnationem . Hoc idem multi Turcę in excubijs capti vnanimi consensu asserebant .

Die septima Septembris .

FActo Ianiceri, aliq; densē Turcarum cohortes horren-do clamore pr̄ properē castra Cosacorum adoriuntur,

mif-

missisq; invaduersum montem tormentis bellicis, eos globis ardentibus impetuant. Toto die molem exercitus Ottomanici impavidus sustinet Cosacus, mille quingentisque tormentorum globis petitus, cum parua occidente, adiutus Pruthenico peditatu hosti resistit. Tum post meridiē hostis castra Cosacorum oppugnare cessat, nouisq; agminibus castra Polonica adoritur. Ea ferocia, animusq; barbaris potiundorum vi castrorum fuit, ut cęcę rabie in arma Polonorum procurrent, quamvis vndique maestarentur. Iamque aggeres, & propugnacula, quæ circū castra fuerūt, ex equis desilentes Turcæ transcenderat. verū non minor nostris animis, quam barbaris ferocia fuit; nam Poloni è castris in aciem cum duobus hastatorum equitum millibus à latere in hostem procurrunt, nouumque prælium instituunt. Numero barbarus, animo Polonus superior erat. instat firmior media hastatorum acies, legionibusq; hostium immergitur: iamq; primo hostium agmine pulso, in secundum pugnabat: mittuntur ex castris auxilia, in auersumque hostium aciem, leuo cornu incurunt. Is demum impetus hostilem inclinari fecit aciem. Procurrunt Cosaci è castris in fluctuantia Ianicerorum agmina, fortiterq; dimicant. Cæterum tanta strage hominum armorumq; locum in quo barbarorum exercitus steterat compleuerant; vt propè per ea difficilior transitus esset, quam per cōfertissimos hostes fuerat. Densatis agminibus equites Poloni qui acie ruperat, tum altera parte Cosaci per cumulos cadauerū, armorūq; & tabern sanguinis, fugitiuum usq; ad castra Turcarum sequebatur hostem. Nox victoris cursum inhibuit. Illi verò Turcæ qui primas Castrorum fossas transcenderant, ibidem omnes cęci sunt.

Toto hoc die Ottomanus castra Polonica summa vi expugnate incassum cum magna suorum strage nitebatur; nā cęorum in acie, in castrorumq; fossis plusquam quadraginta reliquit milia. Solius omnipotentis Dei manum prote-

etricem Polonorum fuisse quis non videat? cum in tot in-
iplos tormentorum explosionibus, barbarorum incursioni-
bus, in tamq; cruento cum hostium turmis commisso prælio
ne trecenti quidem Poloni perire . Castellanus Polocen-
sis cum viginti hastatis equitibus Polonis, pro patria glo-
riosè occubuit . Ex Turcis duo Bassæ interiere .

Hora noctis tertia, multa Turcarum agmina in aciem vbi
pugnatum fuit, cum facibus venere, excitòq; lugubri eiula-
tu cœforum cadauera in fossas, & tumulos deportabant, cu-
iisdamq; viri magni nominis cadauer sollicitè quærebant .
Confestim id nostris, tūm etiam de noua castrorum oppu-
gnatione ex Turcis ea nocte captis innotuit . Ea propter
Generalis Polonus, noctu Castra Cosacorum inuisit, ani-
matq; non esse metuendos hostes, qui nec fortuna, nec am-
mo, hactenus pares nobis fuissent . iubet vt pars exercitus
Cosacorum propugnaculis; pars equis paratis insistar; a-
diūgitq; ipsis cohortes peditatus Pruthenici, sub ductu Pa-
latini Culmensis, eosq; Cosacis in propugnaculis immiscet:
is enim peditaceus tām in acie, quām ex castris rem strenue
bombardis gerebat . In castris autem Polonorum miles
hastatus, in ordine in aciem progressurus signum expe-
ctabat .

Die octava Septembris.

VIx illuxerat dies, cūm pars exercitus Turcici in acie
constitit, in fronte Ianiceri, in vtrisq; alis ingens Tar-
tarorum numerus, facto clamore in aduersa Cosacorum ca-
stra impetum faciunt; Altum à Cosacis tenebatur silen-
tium; vt hostis proprius accedens, commodiùs iaculis pete-
re tur . Iamq; Tartari vndique castra obequitantes, arden-
tes iaciebant sagittas, Ianieeriq; in fossas insiliebant, cūm
subitò instructus ille peditatus ex munitionibus erigitur,
schlopetisq; comminus certat . Vila sunt tunc castra Cosa-
corum

21

corum ardere, infusoq; & excitatis puluerib[us] res di[bus] videbatur. Inermes Tartari à castris fugiunt; atrociter Ianiceri oppugnationi insistunt, tergiuersantes alij, à Spaghijs iussu Imperatoris in arma Cosacorum more pecudum impelluntur, fracti tamen à Pruthenico peditatu, in sua castra regrediuntur. Hæc oppugnatio horis fermè quatuor, cum magna hostium internetione durauit. In ipsis castrorum fossis Ianicerorum tria millia, trecenti verò Spaghij cecidere, quoru corpora Prutheni pedites spoliata in tumulos à castris remotiores iniecere, ignibusq; per campos consternatorum fortis cadaverum à castris arcebatur.

Ex nostris patuci desiderati; in propugnaculis enim dimicatum fuit, ubi Ianicerorum furia offendì non poterant.

Eodem die Saidaczny Cosacus, primarium Cosacorum Ducem Brodavvka dictum, qui ipsum anno superiore, publicis factiōibus, eadem prærogatiua spoliauerat, rapinatum, tardiorisq; quam necessitas, & imperium Generalis Poloni cerebat in castra aduentus, accusatum, ac pro more, institutoq; militari mortis damnatum, mediante Generalis Poloni decreto, gladio percuti iussit, ipseq; à Generale Dux Cosacorum proclamatus.

Die nona Septembris.

Imperator Turcarum post meridiem vniuersum exercitū in aciem produxit. nec Generalis Polonus detrectauit pugnam, sed instrueto pro castris exercitu, eius hosti copiā fecit; utrinque ordinatę acies usque ad solem declinantem nemine initium pugnæ dante steterunt, à munitionibus tātum, & propugnaculis, tormentis bellicis vibratum fuit. Sub vesperum Ianiceri castra Cosacorū acriter oppugnat, quos tamen ipsi à castris pepulere. Transfuga, qui ea nocte ad castra Polonorū venit, retulit Spaghios, qui iussu Imperatoris, Ianiceros ad Castrorum Cosacorum oppugnatio-

nem

nem præibant, supra ducentos, Ianicerorum verò duo millia perisse.

Die decima Septembris.

Turcæ tot dadibus fessi quieuerant per pontemque à latere castrorum Polonicorum, in flumine Tyras fabricatum, multa tormenta bellica traiecerant.

Hoc ipso die Chàm Tartarorum, cum suo exercitu in interiori fluminis ripa, in eo loco, quo in Poloniā iter fuit, castrametatus est, partemque exercitus sui ad prædandam vniuersam Podoliā dimisit. Perculit ea res animos Polonorum militum, hostis enim omnia itinera obsegerat, nullaque de castris in patriam mitti, ex eaque accipi notitia potuit: nec sperabatur amplius, fame iam nostro exercitui laboranti, quavis arte, & virtute succurri posse. Fumabat in conspectu Polonorum exusta ab hoste Podolia, tantaqua hominum, & bestiarum præda in ipsis hærebat oculis. Ardebat miles Polonus ultima acie cum hoste rem gerere, & poscebat Cosacus traecto flumine cùm Tartaro congrederi, èumque de viarum obſidione propulsari promittebat. Hæc res missa in cōſilium fuit, deliberatumque est, non esse diuidendum robur exercitus; diuīſo enim, facilius hostis cū tantis copijs prævaliturus credebatur. eodem loci aut moriendum, aut atrocissimo refiſtendum hosti, virtus, & prospera contra ipsum haec tenus barbarum fortuna manuit.

Altero die Serenissimus Vladislaus Princeps, atq; Polonus Generalis ex continuis fortè vigilijs in febrim incide-re, id exercitui Polono luctuosum fuit; basis enim exercitus, & Regni Poloniæ in ijs consistebat duobus.

Die vñdecima Septembris.

Prodierunt è castris Turcæ, compositisque ordinibus dimidio germanico milliari à castris nostrorum in acie stete-

steterunt. **C**onfessio Generalis Polonus nimis lamæ æger, dato signo, velitationibusque præmissis, dimidiam exercitus partem ad instar aquila expandentis alas; vfo ante quod patriæ ordinatam in campum producit. **C**onspectis nostrorum signis Orthomanus, pugnamque sibi præberi, alii quantum artorius stetit. Tandem siue paucor, siue Dei ordinatio ipsum protinus, conuulsis signis, in castra reducūt. Polona acies rōto die stetit instructa, sonoque buccinarum hostis prouocatus non comparuit. Malo quodam augurio territus dicebatur. Eodem die ex aduersa fluminis ripa, castra Cosacorum cōtinuis iaculationibus hostis impetuuit, sine tamen hominum, equorum verò notabili danno.

Aliquot Tātarorum millia, in altera fluminis ripa, facto cum ingenti vociferatione impetu, pontem Polonorum rumpere conabantur, sed à ducentis peditibus Polonis, qui in præsidio pontis steterunt in fugam conuersi sunt.

Die duodecima Septembris.

Post mediani noctem, relicto cum sufficienti præedio in Castris Serenissimo Principe, uti ægrotō, exercitus noster, vt hostem inopinatō inuaderet, educitus, & vna pars illius à tergo hostilis exercitus, longo per sylvas, & nemora circuitu facto, altera verò à fronte & lateribus instructa fuit. Imber ingens propositum inhibuit: sperabatur tamen commodiore tempore ad effectum deduci, nam exercitus Polonicus ignaro stratagematis hoste, in castra redijt.

Die tredecima Septembris.

Datae utrinque cadaveribus sepeliendis inducīz.

Die

Die quatuordecima Septembris.

Iterum in castris Turcarum diuulgabatur, aliquot trimes Turcarum, à Cosacis in mari Euxino submersas fuisse. Hoc rumore concitatus in rabiem Ottomanus validam castrorum oppugnationem die sequenti fieri iubet.

Die quindecima Septembris.

Vix prodierat sol, cùm Turcæ, Tartarie Polonorum Cosacorumque castra, à tribus adorūtur partibus. Visa est ipsa conflagrare, tremereque terra, præ tot tantisq; tormentorum, bombardarumque explosionibus. Imperator ipse in editiore loco aderat spectator, nullaque, tothomini misere pereuntium habita ratione, ad castrorum oppugnationē eos more pecudum sudibus agere imperabat. Durauit toto eo die impetuosa oppugnatio. verū D. O. M. pro bonitate sua vanam, atque irritam hostium vim undeque reddidit, summa cum ipsorum strage, nostrorum vero per quam exiguo nōcumento. Tentata frustra Castrorum oppugnatione, amissis Turcarum Tartarorumq; triginta millibus, Ianicerorum etiam, & Spaghiorum tribus millibus, summo cum dedecore receptui cecinit hostis, Yellaqus campus ille, æquataq; vtrorumque castrorum fossæ barbarorum cadaveribus, militem nostrum ad præstantes ausus ita incendebant, vt non modò per castrorum portas erumperet, verū per aggetes, & fossas transiliendo communis cum Turcis rem mira fortitudine gereret.

In hac dimicacione Bassa Budæ nominatus Karakas, vir inter Ottomanos Principalis, ipsiq; Imperatori admodum carus, qui perendiç ad ipsius castra eum viginti Turcarum millibus venerat, seseq; iactauerat sibi à Mahumeto, rumpendorum castrorum Polonicorum, fortunam concessam, primus in acie globo in frontem ictus perijt. Hoc idem subiit

subiit fatum Nasaf Bassa, miræ fortitudinis, audaciæq; vir.

Deslebat Turcarum Imperator eam suorum sortem, nihilque toto die cibi sumpsit; vel maximè ideo, quod nouus percrebuit rumor Serenissimum Poloniæ, & Suetiæ Regæ, cum valido generalis expeditionis exercitu aduentare. Terruerat ea res hostem, extremam belli fortunam ocyus tentare, oppugnationique castrorum insistere decreuit, fame iam eneruatum, continuisque excubijs fessum fractum in exercitum nostrorum credebat.

Die decima sexta Septembris.

Consilium habuit Generalis noster ad scitis Ducibus, Praefectis, Centurionibus, ut de exercitu fame oppresso consulerent. Multæ multorum in consilio strebabant sententiæ. Alij congreediendum esse cum hoste in acie, summamque rerum vni committendâ prælio; nec dubitandum esse de fortitudine Polona, ad cuius hactenus arbitrium fortuna regebatur. Hæ voces fermè omnium fuere. Pauci referendum esse pedem ad Camenecum ciuitatem ipso situ naturali munitissimam, inibique exercitum coineatu reficiendum, expectandumque alium Serenissimi Regis exercitum consulebant. In eam tandem sententiam itum est, mortem potius hosti resistendo, oppetendam esse, quam uno vel minimo passu, barbaro cedendum, ne vel recessu, ingressu in patriam, vel animus pariter debilitato daretur hosti.

Die decima septimæ Septembris.

Aliquot Cosacorum cohortes in castra hostium noctu ingressi plurima tentoria conciderunt, plusquā mille hostium, absque strepitu bombardarum frameis trucidarunt, saluiq; nemine ex suis amissio redierunt. Idem etiam ea ipsa nocte, ad ponte per Turcas extructū Circas Bassam,

D cui

cui commissa pontis custodia fuit, cum multis Turcarum, Janicerorumq; centenis interfecerunt, multos adduxerunt capiuos, spolijsq; opimis potiti incolumes ad suos reuerfi sunt.

Vniuersus exercitus Polonorum, miro ardebat desiderio, idq; solùm in votis habebat, vt Serenissimum Principē Vladislauum quamprimum in equo restaurata valetudine conspiceret. Magnum id certè ad præclaros ausus calcar, & incitamentum fore credebatur.

Die decima octaua Septembris.

Altera vice Cofaci noctu hostium castra sine strepitu ingressi plusquam sexcentum ex hostibus necauerere, plurimos papiliones, equos, vestes pretiosas, camelos, boves, multumq; auri, & argenti, tum duo Janicerorum insignia, ipsi illæsi ad sua castra asportauere, eademq; Serenissimo Principi Vladislao obtulere.

Leuioribus prælijs vtrinque certatum fuit usque ad diem vigesimam quartam, qua Carolus Chodkiewic Generalis graui conflictatus morbo, summo omnium luctu obiit. Ad nuntium tanti viri interitus gestiebat barbarus, omnabaturque, perditò tam fortunato, & animoso Duce, à quo is tot prælijs cœsus, tot oppugnationibus repressus erat, de fortuna Polonos multum dececessuros.

Die vigesima quinta Septembris.

Ab omni parte Othomanus castra Polonorum inuadit, totaq; suarum virtutum mole, ac vniuersis simul equestribus, & pedestribus copijs castra adoritur. Nostris, quamuis Dux defuisset, tanto magis graniter ergroto Serenissimo Principe, quo omnes spem vnicam locauerant, animus tamen non defuit. Atque ducti Stanislai Lubomirski Comi-

Comitis de Visnic Campiductoris vis hostiū ita repressa ;
vt eo dīe plusquam octo Othomanorum millia in acie cesa
fuisserent.

Die vigesima sextā Septembris.

CVm Othomanus, nec iam fortunæ, nec vi potiundo-
rum castrorum spem habuisset, viresq; exercitus sui
attenuari in dies magis, ac magis vidisset, perditis quatuor
Principalibus Bassis, tantisque suorum millibus, is qui ante-
paucos dies iugum ceruicibus nostris se impositurum su-
perbè iurauerat, pacem periurus amplecti cupiebat. Dimi-
sit cum literis ad castra nostrorum quendam Baptistam,
Vinellium Italum, vt is Polonus ad renouandam tot sœcu-
lis ab Othomanica domo, Regibusq; Poloniæ, seruatam
hortaretur pacem, Commissariosq; ad eandem tractandam
posceret. Res ea elatum prospero præliorum successu ac-
ceptandæ pacis pertinacem, sed fame iam fractum militem
Polonorum reddebat hilarem. Non tamen hosti tot vici-
bus foedifrago credebatur.

Die vigesima septima Septembris.

TVrca, quamvis pacem postulauerat, castra Cosacorū
tormentis multum, diuq; oppugnauit, quibus cū nihil
profecisset, castra comminus adoriri cœpit; verū vbi Co-
saci pro castris in acie constituerunt, hostis retroiuit.

Eodem die Serenissimus Princeps confirmatus ex anci-
piti, & periculoſo morbo, quo summo cum totius exercitus
mœrore laborabat, castra, personantibus vndique fauitis
militum acclamationibus, obequitabat.

His etiam diebus Cosaci castra hostium inopinatè inua-
serunt, strageq; in ipsis edita, ingenti trepidatione hostile
exercitum perculerunt, opimisq; onusti spolijs, in castra in-
columes sedierunt.

D 2 Die

Die vigesima octaua Septembris :

Imperator Turcarum constituit ultimā tentare belli fortunam, atque re prius cum Tartariꝝ Chamō communicata, die illucentē exercituū longis agminibus ad oppugnationem castrorum producere cœpit, in modumque coronꝝ munitiones, & castra Polonorum cinxit, plurima tormenta bellica à tribus castrorum partibus, traeiectis triginta alijs in ulteriore fluminis ripam collocauit, ex ijsdemque vtraque castra per spatiū aliquot horarum nec quidquam impetiuit; nam in castris nostrorum tres tātū globo ic̄ti periēre. Deinde cùm binas ad castrorum portas ad quam alteram Campiductor cum sua phalange, & Palatinus Culmēsis ad alteram cuti Pruthenorum cohortibus in statione erāt, plurima tormenta ab hoste vibrata, ex omnibusque partibus creber impetus, desilientibus ex equis, Turcis, seseq; Ianiceris, ac pedestribus copijs ad oppugnationē castrorum adiungentibus, factus fuisse; unde quaque Poloni cœca barbarorum rabie premebātur. Erant iam hostes spe expugnandorum castrorum ita inflati, ut passim in velitationibus Polenos territarent, ad aliquot tantū horarum spatiū vitam, atque salutem ipsorum durat uram. Iamq; barbari per fossas cadaueribus ipsorum repletas, in castra Polonorum ruebant, fessiq; cœde hostium nostri propugnaculis castrorum cedebant, cùm subito Serenissimus Princeps, submisso debilitatis castrorum partibus auxilio, militem ad resistendum hosti reuertit. Inquiebat ille, non esse fortitudinis Polonꝝ, fracto iam tot prælijs, & oppugnationibꝝ hosti, hac vna cedendum hora, quin immò hic standum, & moriendum; hostem iam ultimum belli discrimen tentare, quo superatum, amplius, nec fortuna, nec ausu nobiscum collaturum manus. Hæc dum dixisset, primus in hostem cum duobus hastatorum equitum millibꝫ reserata.

tis castrorum portis, à laterē prorulc, atrocisq; cōmisso p̄flio, boni militis, & animosi. Principis exemplar, ita omnes animauerat, vt passim effusi ex castris, hostem iam iam vires centem reprimerent, eumq; in castra sese recipientem, animosè prosequerentur. Serenissimum Principem Stipatores à sequitando hoste retinuere, ne hostis fugitius cadente iam Sole, effusos è castris Polonos, aliquo stratagemate circumueniret.

Sub id tempus ingentes Tartarorum copiæ in castra nostrorum ex vltiori fluminis ripa tranare s̄epius conati, vbi tamen Polonos intrepidè in ordinibus stare fortiterq; ac prospere contra Turcas rem agere conspexerunt, frustrā terato impetu cum cæde suorum recesserunt. Cæsa sunt eo die plusquā viginti hostium millia, ex Janicetis, & Spaghijis quinque millia perierte; ex nostris ne duceari desiderati, enuclei faciebantur.

Die vigesima nona Septembris.

Altum in castris Turcicis fuit silentium. Cadaveræ vtrinque sepeliebantur.

Die trigesima Septembris.

Iam Orthomanus feruentius vrgebat pacem, missisq; ob fidibus, Commissarios de pace tractanda, ad sua castra mitti postulabat. Deputantur à Serenissimo Principe, & exercitu Commissarij, acceptisque obsidibus in Turcarum castra, cum selectis ducentis equitibusmittuntur. Hos duo Bassæ cū aliquot Turcarū ceteris, medio inter castra spatio, expectabant. demū cōgressi, factaq; de more militari salutatione, vñus ex Cōmissarijs Polonorū inquit. Pacē, & bellū vobis, vestroq; Imperatori ferimus. at Turcæ ingemiscendo concordi clamore; Pacem nobis; & Imperatori nostro

nam optatam fuitore. Tum ad castrá Turcarum ventum; omnium barbarorum ora, oculique in nostris fixa fuere. Benignè à Turcarum Imperatore suscepit; coram de pace tractatum est.

Die primā Octobris :

Verat paucis ante diebus cum delecta peditum manus ex castris Polonorum Cainenecum versus Capitaneus Vilneusis, ut comeatu iam exhaustum exercitum reficeret. Huic redeunti Turcæ Tartarie iter præcluserant; saluteui enim exercitus nostri in eo comeatu, quem allatus erat, consistere arbitrabantur. Quo ipse per exploratores cognito, per octi duum sub Caineneco cum toto agmine stetit, & sèpè iter apparabat, ac denuò ibidem restare cogebatur; numerosa enim conspiciebantur in latè patentibus campis Tartarorum agmina, qui omnia itinera insederant. Verùm Polonus, ut hostem eluderet, noctu dextrorsum iter diuertit, ad flumenq; Tyras, ignaro hoste, longiore via peruenit, saluoq; milite, & comeatu, sub castris constitit. Re cognita, Tartari ipsum adoriebantur; verùm ex castris, arcèque Chocim tormentis bellicis petiti, recessere.

Eodem die venerunt ad Serenissimum Principem Legati à Cosacis Oram ad flumen Olgam incolentibus.

Summa Legationis erat, Eos cum exercitu viginti milium in castra Serenissimi Principis hinc post tres dies venturos, promptamq; ac fidelem operam ipsi, eo bello, contra communem Christiani nominis hostem nauaturos. Accepti sunt ab Serenissimo Principe liberaliter, responsumque ipsis est, ut si quando venerint, signa, & vexilla Regia ipsius conferri.

Die secunda Octobris:

Capti sunt aliquot hostium, & nonnulli ad nostros desciuerunt, hi constanter affirmabant Turcas pertenses bellum, paci studere, eaque ab Imperatore suo grauissimis efflagitationibus palam extorquere. Hactenus nihil Commissarij in castris Turcarum de pace concluserant.

Die tertia, & quarta Octobris:

PAbulatores Polonorum cum Turcis per quam creberintis prelijs cum magno hostium damno certabant, multos equos in castra aportabant. quocirca ad Turcicum postulationem, securitas vtrinque proclamata, armaque suspensa, donec vel pax, vel bellum decerneretur.

Die quinta, sexta, & septima Octobris.

Circa pacis conditiones vtrinque actum est. Erat iam in summa comeatus angustia exercitus noster, frondibus quercentibus pascebantur equi, ac proinde ingens eorum numerus, incredibili exercitus damno periret. Quae res pacem potius amplecti, quam incertam victoriam prosequi, in votis vnicuique fuit. Meliorem tutioremque esse honestam pacem, sperara victoria: nec tot oppugnationum priorumque felicitatem, vnius horae discrimini committendam: Mars belli communis in animo proponebat; vtrinque ferrum; Turca adhuc milite superior erat: omnia in pace iungenda nostrae potestatis fuere, quae in ultimo conflictu, arbitrio fallentis fortunae subiecta forent.

Die

Die octaua Octobris.

Sab Vesperum pax conclusa fuit, & his quidem conditionibus.

- ¶ **V**T Imperator Turcarum primus ex acie cum suo exercitu, & armis spectante, in acieque ad prelium instructo Polonorum exercitu, hinc post tres à pace conclusa dies discedat, exercitumque vniuersum in Thraciam velociter abducat.
- 2. **V**t arx Chocim propugnaculum Valachiae, & porta in Imperia Othomanica; temporibus perpetuis ad Regnum Poloniae pertineat.
- 3. **V**t omnes captiui, tamen in precedentibus, quam praesentibus prælijs capti, vtrinque restituantur.
- 4. **V**t antiquis Casimiri Jagelonis Regis Poloniae, & Mahometi Turcarum Imperatoris de alternato in Valachiam dominio, pactis conuentis stetur.
- 5. **N**ec Tartari inditiones Poloniae, nec Cosaci, in domina Othomanica ad damna facienda irruant: secus, damna illata resarcienda.
- 6. **V**t Tartarorum Cham ad omnem requisitionem Regis Poloniae in omnibus expeditionibus bellicis, contra quosvis Regni hostes cum suo exercitu pareat. Cui triginta florenorum millia Rex Poloniae pro stipendio annuatim dabit.
- 7. **E**x parte Turcarum Imperatoris unus Bassa, ex parte Regis Poloniae unus Senator Regni, hic ad portam Othomanicam, ille ad Regem Poloniae ad iuranda pacta legati, mitti quamprimum debent; firmatisque sederibus, tum Othomanus in Curia Regis Poloniae, tum Rex in porta Othomana, Agentes suos habebunt. Aeuaternaque amicitia fruentur, dummodò haec à quouis parte non violetur.

8 Hæc

SHec pacta, & pax à Cosacis Polonorum, cum Tartaris in mari Euxino, & fluminibus, circa piscationem, tum in campis inhabitatis circa venationem præpliantibus, violari non debet.

His factis conditionibus, iustoque fædere, Turcæ tota ea nocte tormentis bellicis triumphauere. illucescente die, idem à Polonis actum est.

Die nona, decima, & vndecima Octobris.

INter vtrosque exercitus mercimonia exercebantur, multa præstantium equorum millia nostri ab Othomanis vili emerunt pretio.

Die duodecima Octobris.

MOuendis Turcarum castris, cedendique ex acie dies præfixus venit. Vniuersus exercitus Polonorum in acie à Serenissimo Principe ad formam expandentis alas aquilæ armatus, ordinatur, ipse Serenissimus Princeps super arma splendentia amictus purpura, in fronte exercitus stetit. Sub meridiem Turcarum Imperator exercitum ex castris educit, ordinarique ad instar mediæ lunæ iubet, ipse in fronte excrcitus comparuit. Vna fermè hora immoti exercitus stetere. Mittit Othomanus Elephantem miræ magnitudinis, equum phaleratum raræ præstantiæ in donum Serenissimo Principi. tūm Serenissimus Princeps eundem æquo itidem phalerato, & duis bombardis miro ope- re factis, remuneratur. Susceptra vtrinque dona; ac demum inclinatis capitibus, hastarumque motu Turcæ Polonis valelixere. Polonus verò exercitus nutu capitum valedictione in fecit.

Iamque Serenissimus Rex Poloniæ numerosas contra eum hostem, in Valachia infastis prælijs, cum Serenissimo Prin-

Principe Vladislao dimicantem, copias ex nobilitate Polonae viritudin more maiorum scriptas, ducebat, Leopolimque cum centum quinquaginta nobilium millibus perueniebat; cum ad ipsum perfertur Turcarum Imperatorem, icto cum Polono exercitu fœdere, reliquias exercitus sui ultra Danubium reduxisse. Quæ res, & si à principio Serenissimum Regem ita commouerat, ut in ancipiti cura, atque deliberatione multum diuque versaretur; acceptandumne ipsi foret fœdus cum hoste, ipso inconsulto ictum an hostis, qui quadrigentis barbarorum millibus, & tanto bellico apparatu, expugnandisque vrbibus aptis instrumentis fretus, sc̄ vniuersam Europam bellis ciuilibus flagrantē (hoc enī conatu bellum susceperebat) expugnaturum crediderat; idem plusquam decies nec quidquam tentata castrorum oppugnatione, magnis acceptis cladibus, amissis magni nominis quatuor Bassis, centumque, & sexaginta Turcarum Tartarorumque millibus, pacem petere, eamque æquissimis conditionibus constituere, inglorius, ac victo similis abire, conatus sit cæpto victoriae cursu persequendus?

Res Polono fuit cum eo hoste, qui semel iterumque vietus, s̄epius deinceps vincendus esset, cum quo tot seculorum spatio, alias potētissimos populos, & Reges incassum bellare cernimus, cui ad nos aditus facilis, qui quoties ipsi paruerit, siue per Scithiam, siue per Valachiam, siue per Vngariam, uno, eodemq; tempore, ingentia barbarorū agmina in Regnū Poloniæ effundere queat. Sustinuissent Poloni vno, & altero anno hostis tam potentis impetum, sociorum fiducia; nisi perspectū haberent, eos ipsos socios, amicosque, vel domesticis distineri bellis; vel ita comparatos esse; ut alienis periculis, etiam si mox ea sibi impendeant, parum admodum moueantur; vel denique ita remotos, ut velocius ad eos ruinæ, quam periculi Polonorū fama esset peruentura. Denique fessis & exhaustis Polonis bellum arbitrio hostis habendum esset: frustra vicinorum implora

Causæ su-
fcepti fos-
deris.

randa auxilia, postremo pax ijs acceptanda conditionibus,
quas Turca tulisset.

Nunc extorta ab hoste, honesta Polonis; illique ignomi-
niosa pax habetur. non illa quidem solida nam alij nominis
Catholici hostes, qui eadem occasione, ad perniciem no-
stram vti voluerunt; nunc quoque Regno Poloniae facef-
sunt negocium. Ituasit Suecus Lituaniam per fraudem Cal-
vinorum Rigam intercepto, civitatem nobile portu ijs pla-
ne diebus, quibus cum Turca, & Tartaro (duobus Chri-
stiani orbis terroribus) Polono res fuit: plus etiam tentare
ausus fuisset, nisi oppositus exercitus Regius audaces illius
conatus repressisset. quis iam eum iuratum portet Othoma-
nicę socium esse dubitabit? Idem de S.C. Maiestatis rebel-
libus, Vngaris, Bohemis, Morauis, Silesijs certo affirmare
licet: arreverant & hi animos in perniciem Regni Poloniae,
tum potissimum Schismatica Moschi gens sperauerat, ac
nemo fermè erat, qui illud perituru non auguraretur, quiq;
id votis conceptis non desideraret. Denique hoc ipsum
belli Turcici periculum, ex ipso Hæreticorum consilio ema-
nauit: quarè, vel illi præcipue dolent in vanum abiisse Tur-
cicos conatus, vt qui tota si possent, nos bellorum maxi-
morum mole obrutos esse cuperent. Prospiciendum erat
maturè Polono, ne ab omnibus circumuentus, laboraret,
cum Turca transexit pacem, atque utiq; duraturam; cum
reliquis bellum integrum manet.

His de causis pacem potius amplecti visum, quæ satis ha-
beret & gloriæ ad posteritatē, & firmamenti ad Regni
Poloniae tranquillitatem, quam dubijs belli euentibus par-
tam gloriam, communemq; totius Christianitatis causam
committere. Satis, superq; mirabilium operator Deus in-
ter tot, tantorumq; hostium impetus, fluctuant Regno Po-
lonię fauit, vt illud suis viribus innixum, repressis duobus
potentissimis Turca, & Tartaro Asiæ Monarchis; cęsisque
plusquam centum sexaginta barbarorum millibus; nedum
mille

mille ex suis perdiderit. Ipse D.O.M. cum nostris fuit, quo
præsente, cadent à latere nostro mille, & decem millia à
dextris nostris.

Atque eo modo, quod Regno Poloniæ, ac vniuersitate Rei-
pub. Christianæ felix, ac auspicatum esse precamur, bellum
id, non tam temporis diuturnitate, quam apparatus ma-
gnitudine, præliorum numero, cæsorum hostium ingenti
multitudine, cause pro qua belligeratum est equitate Su-
peris fauentibus gestum.

L A V S D E O .

